



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 17. Religiosi Mendicantes se hujus revocationi subjiciunt

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1456.

nestabilis auctoritatem interponunt. Hic quoque una cum Archiepiscopo Rhenensi, & Parisiensi Episcopo, Academiae Doctores die decima octava ejusdem Mensis in unum coactos adiit, ac in pleno confesso exposuit, ad reddendam pacem plurimum expedire, ut præfata Constitutio in manibus Episcopi Parisiensis relinqueretur, Religiosi vero Mendicantes denuo iisdem, ac ante exortam ejusmodi controversiam, Universitatis juribus, atque privilegiis fruerentur, ea tamen lege, ut nuperæ Callisti III. Bullæ, qua Nicolai V. Constitutio revocatur, obedientiam præstarent.

§. XVII.

Religiosi Mendicantes sese subjiciunt.

Equidem FF. Prædicatorum Prior ceterorum Mendicantium nomine denuo admitti postulavit, quia vero minoris submissionis signa dedisse videbatur, altera etiam vice Connestabilis Religiosos ad publicum confessum vocare compulsus est, ubi magis humili ac demisso mentis obsequio subjectionem professi sunt, Fratrum Augustinianorum Priore ceterorum omnium nomine verba faciente. Quapropter pristinis Academiae juribus restituti sunt, pactis hisce
legi.

legibus, I. impostero Nicolai V. Constitutionem, aut Callisti Bullam, per quam prior confirmatur, nullatenus in usum deducant; II. harum prima in manibus Parisiensis Episcopi reposita maneat. III. Religiosi Constitutioni, qua priores revocantur, morem gerant, eandemque infra unius anni terminum a suis Ordinum Generalibus approbari faciant, nec impostero ejusmodi Bullas sibi procurent, nisi ab eadem Universitate rursus excludi velint. Nihilominus secunda die proximi Mensis Julii quidam FF. Prædicatorum Religiosus Academiae Rectorem adiit, nomine sui Generalis significans, sibi injunctum esse, ut Ordinis sui Religiosis prohiberet, ne sub præfatis conditionibus ad Academiam admitterentur. Ad hæc Rector obmutuit, postera tamen die Dominicanos ad se vocari jussit, & pacta, quæ prius inierant, rata haberi, propositasque conditiones ab eis recipi postulavit. His vero reluctantibus, ac Generalis sui prohibitionem causantibus, Universitas denuo illos a suo corpore segregavit, donec in quadam Congregatione octava Octobris die habita, iterum admitti postulassent, & perfectam submissionem, ac pacti fidem præsentem Connestabili polliciti essent. Sic tandem hæc controversiæ fuerunt compositæ, quas tamen tra-

Sæcul. XV.
A.C. 1456.

Sæcul. XV. Etu temporis frequenter innovatas vide-
 AC 456 bimus.

§. XVIII.

Horrendi terræ motus in Italia.

Eodem hoc anno in mense Decembri
 Regnum Neapolitanum, Laborinus
 ager, Abrutium, & Apulia creberrimis
 ac horrendis terræ motibus concutieban-
 tur, tamque vehemens hujus concus-
 sionis vis erat, ut multa, & præclara
 ædificia tam sacra quam profana pari
 ruina prostrata corruerint. Hac strage,

S. Antonin. S. Antonino teste, sexaginta millia homi-
tit. 22. cap. 14 num & amplius absorpta, oppressaque
S. 3. perierunt, quos inter ferme triginta mil-
 lia in sola urbe Neapolitana fuisse nume-

Æn. Sylv. rata, Æneas Sylvius refert. Præterea
epist. 207. & scribit, quod Bojanæ e terra immani hia-
Europ. c. 54. tu scissa lacus eruperit. Addit Joanes

Gobelinus, qui Æneæ Sylvio ad
 Pontificatum assumpto a secretis erat,
 quod in Ægeo Pelago parva tunc emer-
 serit Insula nunquam antea visa, & qua-
 draginta cubitis supra aquas sublimis die-
 bus aliquot arserit. Alphonsus Rex hor-
 rendi hac strage adeo attonitus hæsit,
 ut omni ferme momento a se nun-
 cupatum adversus Turcas pugnandi
 votum innovaverit, brevique se adim-
 pleturum pollicitus sit, depulso tamen
 mortis

Platin. in
vita Callisti.